

HEINRICVS 2. ANTISTES BASILIENSIS.



Heinricus ex illustri familia comitum à Thun ad Ararim natus est. Hic optimis literis & uite integritate prædictus, primò cathedralis ecclesiæ Basiliensis præpositus electus est. eam functionem cum optimè administraret, post Vualtherum Episcopum eius loci constitutus est, anno Christi 1215. Erat Heinricus liberali ingenio cōspicuus, atque religionis Christianæ egregius restaurator. Itaque hinc inde Ecclesiæ suæ diocœsis uisitauit, atq; sacerdotibus annua stipendia auxit. Cum autem ipse solus tot negotijs expediēdis impar uideretur, primus Episcoporum suffraganeum recepit, Ioan nem ordinis Theutonici equitem, qui postea præsul Lintoniensis fuit. Sub eius administratione Ecclesiæ status apud Basilienses multum incrementi sumpsit.